



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Philippo Dvnelmen. Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

literæ, in quibus fuit falsitas deprehensa, formam de simplici justitia habuerunt, cùm præsumi non debeat quòd pro talibus literis, quæ de facili possunt à qui- buslibet obtineri, fraudem commiserit falsitatis, ab ipso Presbytero canonica purgatione recepta quòd conscius non fuerit falsitatis, nec literis illis usus est postquam eas falsas esse cognovit, tu ei diuinæ pietatis intuitu officium beneficiūque restitutas, & eum super hoc ulterius non molestes: quia sicut justum est excessus corrigerē delinquentium, sic iniquum meritō reputatur, si severitas poenæ puniat innocentēs.

*ABBATI ET CONVENTVI  
sancti Edmundi.*

Epiſt. 457.  
De confeſſione Ecclesiæ  
ipſorum.

**C**VM Ecclesia vestra Ecclesiæ Romana sit filia specialis, & ad eam nullo pertineat mediante, vos (unde prudentiam vestram dignis laudibus commendamus) ad apostolicam sedem tanquam ad caput vestrum in arduis ducitis recurrentum. Et quia Ecclesia ipsa nondum munus dedicationis accepit, super dedicatione ipsius à nobis licentiam postulaſtis. Nos ergo petitionibus vestris grato concurrentes assensu, postulatam licentiam indulgemus; concedentes etiam quòd crucis & sanctorum imagines, quæ præ magnitudine sui de ipsa Ecclesia non possent absque dispensatio amoveri, in suis locis valeant remanere. Episcopis autem, quos ad dedicationem duxeritis invitandos, per apostolica scripta mandamus ut ad vocationem vestram veniant, quemadmodum postulaſtis. Datum Laterani Kal. Decembris.

*CLERICIS SANCTI PAVLI  
de Castro Cervarij.*

Epiſt. 458.  
Confirmat ſen-  
tentiā pro il-  
lis lataā circa  
Julya papeſtij.

**E**A quæ auctoritate apostolica ratione prævia statuuntur, ne in recidiva q̄uestionis scrupulum relabantur, apostolico sunt munimine fulcenda. Ex literis ſiquidem dilecti filii nostri R. tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyteri Car. Casin. Abbatis nuper accepimus quòd cùm olim cauſam quæ vertebatur inter vos & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Castro Cervarij ſuper baptiſmate, de communī assensu partium ipſi duxerimus committendam, idem viſis utriusque partis rationibus & pleniū intellectis, pro vobis ſententiam

promulgavit; Clericis prædictæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ firmiter inhibens ne vobis molestiam vel gravamen inferrent quòd minùs pueros parochianorum vestrorum liberè ſic baptizare poſſetis, cùm veſtra Ecclesia ipſi Ecclesiæ sanctæ Mariæ in nullo ſubjaceat, & iudem parochiani in Ecclesia veſtra cetera percipient ecclesiastica ſacramenta. Nos igitur quod à prædicto Abbatे factum eſt ratum habentes, ſententiam ipſam, ſicut rationabiliter lata eſt, vel legitime appellationis remedio ſublevata, auctoritate apostolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Decernimus ergo ut nulli &c. Datum Laterani V. Kal. Decembris.

*PRIORI ET CONVENTVI  
Ecclesiæ Dunelmen.*

**I**S eſt Prælatorum ad subditos & subditorum ad Prælatos ſuos dilectionis & concordiae fervandus affectus, ut nec illi qui præſunt, ſubjectorum jura perturbent, nec qui ſubſunt, iuſtitia derogent præſidentium, vel attendent præter eorum aſſenſum quæ cum ipſorum tenentur conſcientia perractare. Sanè cùm venerabilis frater noſter P. Dunelmen. Episcopus inter vos vices gerat Abbatis, nec ei nocere debeat quòd episcopali præminet dignitate, in his ejus eſt à vobis requirendus aſſensus quæ præter Abbatis aſſenſum vobis agere non licet. Eapropter auctoritate præſentium diſtriictiū inhibemus ne præter conniventiam ejus vi- cem ſuper hoc gerentis Abbatis Eccleſias aſſignare, alienare poſſeſſiones, vel confiſcere ſuper alienationibus instrumenta, Priores instituere vel mi- niſtrōs, & alia quælibet in quibus Abbatis eſſet neceſſarius aſſensus, atten- tare aliquatenus præſumatis contra conſuetudinem regularē. Quòd ſi præter conſenſum ipſius & inhibitionem præſentem aliiquid (quod non credimus) ſuper his duxeritis præſumendum, id irriuum decernimus penitus & inane. Nulli ergo &c. noſtræ inhibitionis &c. Dat. Laterani VI. Idus Decembris.

*PHILIPPO DVNELMEN.  
Episcopo.*

**V**T negligentium quorundam deiſi- diam prædecessores noſtri Roma- ni Pontifices ad ſollicitudinem excita-

Epiſt. 459.  
Ut majoribus  
in rebus Abba-  
tis ſemper con-  
ſenſum requi-  
rant.

L i i j

Epiſt. 460.  
Quo tempore  
conferenda ſint  
beneficia, &

## 270 Epistolarum Innocentij III.

quando ad superiorem de-  
voluantur.

\* Leg. Conven-  
tibus, aut Col-  
legiis, aut Ca-  
pucinis

Cap. Nulla. De  
concess. prab.

rent, & obviarent fortius cupiditati mul-  
torum, qui vacantes Ecclesias suis usibus  
applicabant, tam antiquis temporibus  
quam modernis certum tempus Canonici  
& \* Concilii praefixerunt ultra quod  
nec Ecclesia debeat nec ecclesiastica  
beneficia seu præbenda vacare; non ap-  
probantes quod tamdiu vident, sed pre-  
caventes ne diutiū Ecclesia quilibet so-  
lito ministrorum obsequio defraudetur.  
Nos etiam ipsorum ac præsertim felicis  
recordationis Alexandri Papæ præde-  
cessoris nostri statuta sequentes, auto-  
ritate tibi præsentium indulgemus ut si  
monachi Dunelmen, vel alii quilibet le-  
ge diocesana tibi subiecti Ecclesias vel  
præbendas ad suam donationem spectan-  
tes ultra tempus in Lateranen. Conci-  
lio diffinitum vacare permiserint, ex  
tunc, monitione præmissa, sublato appella-  
tionis obstaculo, eas tibi liceat idoneis  
conferre personis. Nulli ergo &c. Da-  
tum ut suprā.

### EPISCOPO CESENAT.

Epist. 461.  
De relaxando  
interdicto.

**R**ediens de partibus Marchiae dile-  
ctus filius C. rr. sancti Laurentij  
in Lucina Presbyter Cardinalis, in qui-  
bus legationem sedis apostolicæ habue-  
rat, apostolatu nostro exposuit quod  
pro eo quod Cesenat. cum Marchoard-  
do juraverant, & saepius requisiti a fide-  
litatem Ecclesie redire noluerunt, ter-  
ram ipsam interdicto supposuit. Quia ve-  
rò, sicut tam per literas tuas quam etiam  
populi Cesenat. nobis præsentatas acce-  
pimus, Marchoardi societatem penitus  
reliquerunt, cum aliis civitatibus Ro-  
mandiolæ conjurantes, tuis & ipsorum  
precibus inclinati, fraternitati tuae per  
apost. scripta mandamus quatenus rece-  
pto à tot & talibus quot & quales pro  
societate Ravennat. de Cesenat. jurave-  
runt, secundum formam Ecclesie jura-  
mento quod super his pro quibus inter-  
dicti fuerunt nostro debeat parere man-  
dato, interdictum auctoritate nostra re-  
laxes, reservans mandatum usque ad no-  
stræ beneplacitum voluntatis. Datum  
Laterani Idibus Decembris.

### RAD. PETRAGORICEN. Episcopo.

Epist. 462.  
Quod laici de-  
cimas à Cleri-  
cis exigere non  
possint.

**Q**VONIAM indignum est, & rationi-  
contrarium, ut laici, qui perso-  
nis ecclesiasticis decimas tenentur exol-  
vere, eas à Clericis rerum ordine præ-

posta confusione turbato extorquere  
praesumant, ad petitionem tuam univer-  
sis monasteriis, Ecclesiis, & Clericis tuę  
dioecesis duximus indulgendum, ut si for-  
tè quilibet laici suo nomine decimas ab  
eis amodo consuetudinis obtentu longe-  
væ vel aliis occasionibus duxerint exi-  
gendas, sit eis liberum quod ita postula-  
bitur denegare. Si verò laici, suæ animo-  
sitas spiritu concitati, violenter aliquid  
voluerint adversus præsentis indulti be-  
neficium attentare, tua fraternitas ap-  
pellatione remota eos ecclesiastico in-  
terdicto supponat. Datum Laterani  
XVIII. Kal. Ianuarij.

### CAPITVLO ARELATENSI.

**Q**VANTO recentior est in Ecclesia ve-  
stra religionis introducta planta-  
tio, tanto diligentius in ipsis primordiis  
est cavendum ne aliquid honestati con-  
trarium nutriatur; quod cum ex confue-  
tudine fuerit confirmatum, ordinis cla-  
ritatem obtenebret, & difficilius, post-  
quam invaluerit, extirpetur. Cum au-  
tem ubi regularis ordinis professio ante-  
cessit, una esse debeat mensa fratrum, &  
unum dormitorium eorumdem, nisi aliquem  
quandoque infirmitas vel alia ju-  
sta causa excludat, præsentis scripti pa-  
gina prohibemus ne aliquis vestrum,  
post factam professionem, nec etiam ali-  
quis Canonicorum seu Clericorum secu-  
larium, obtentu alicujus consuetudinis  
cibos, qui sibi ex administratione quotidi-  
ani stipendijs apponuntur, extra clau-  
strum vestrum de cetero audeat expor-  
tare; sed infra, in locis ad hoc speciali-  
ter deputatis, simul dormiant, & man-  
ducent. Statuimus insuper & auctoritate  
apostolica prohibemus ne aliquis Cano-  
nicus vel Clericus Capitulis vestris ali-  
qua occasione nolentibus vobis intersit,  
nec quisquam ex ipsis vestibus rubeis  
vel viridibus seu capis manicatis vel aliis  
religioni contrariis uti aliqua insolentia  
seu temeritate præsumat. quod ab-  
jecta secularitatis saperet vetustatem,  
& scandalum in populo generaret. Illi  
verò qui super præmissis culpabiles de  
cetero potuerint inveniri, secundum  
Archiepiscopi vestri arbitrium canonici-  
cam subeant appellazione postposita ul-  
tionem. Constituimus etiam & præsen-  
tium auctoritate sancimus ut Clerici Ec-  
clesie vestre, qui non possunt, prout  
optarent, in ipsa Canonici fieri secula-

Epist. 463.  
Quodam Sa-  
tua super via  
ipsorum in-  
tuncur.